



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Controversiarvm Omnivm Hviſs Ævi Lvthero-Calvinisticarvm Libri Tres

Coppenstein, Johann Andreas

Mogvntiæ, 1627

LXXXVII. Cantus Ecclesiasticus an sit improbandus?

urn:nbn:de:hbz:466:1-35233

QVÆSTIO LXXXVII.

Cantus Ecclesiasticus an sit improbandus?

LUTHERANI Centuriatores cent. 9. cap. 6. &c. nos vocant Baaliticos; vt in quos dicitur *Clamate voce maiori*: Non tamen cantum improbant vniuersè, quin vehementer commendant: Calvinianique pariter, vt Calvinus *Inst.* 3. c. 20. §. 31. Verum in specie improbant nostrum in lingua non vulgari, tali cum ritu ac ordine; præsertim cum stata solemnique obligatione solius Cleri.

TRANSYLVANI Trinitarij l. 2. c. 1. profitentur se Cantum cum tubis & organis præscribere: Inque *Antithesibus Christi veri ac falsi*, falsum Christum velle aiunt cantum.

SVADENT Scripturarum apparentiis, cuique soluta facilibus.

AUTOR. I. Ritus Diuina canendi peruetus est ac rationabilis.

1. Quia Angeli concinuerunt Christo nato *Gloria*.

2. Dauid Psaltes & composuit psalmos, & instituit organa. &c. cantores: & *Psal.* 150. hortatur ad cantum.

Martyr instat, ista veteris esse Legis, adq; nos pertinere nihil: Nihil, inquam, quæ futura præcinebant iam impleta: at multum, quæ præterita mysteria grati recolimus, omiſſis figuris.

3. Turbæ occinuerunt Christo *Hosanna*, obstrepentibus Pharisæis.

4. Qui *Mat.* 26. *Hymno dicto post cœnam*, id est, cantato, ait *Conc. Tolet.* V. c. 12. *Et Aug. in tit. ps.* 2. & *epi.* 119. c. 18. *ὑμνῶν καὶ ᾠδῶν* græcè est.

5. Paulus & Silas, *Act.* 16. *media nocte orantes hymnum decantabant.*

6. Præceptum est *Col.* 3. *vt in psalmis, & hymnis, & canticis* sese exercent

credentes. 7. Constat Traditio S. Patrum. 8. Hæretici contrarij, sunt damnati: Vt Hilarius quidam, teste S. *Aug.* l. 2. *Retract.* c. 11. Henriciani, & Petrobrusiani: teste Cluniacensi: *W. cleffistæ*, teste *Tho. Wald.* 10. 3. tit. 2. Demum complures Cantus ecclesiastici constant vtilitates, apud *Bell.* l. 1. *de bon. oper.* c. 16.

II. Clerum ad Cantum ac Horas obligari, ritè fit ac ordine.

1. Quia 1. *Par.* 15. *Constituit Dauid vram Arca Domini de Leuitis*, qui ministrarent, & recordarentur operum eius, & glorificarent, atque laudarent Dominum.

2. Apostoli omiſſis temporalibus suum munus proprium dixerunt: *Act.* 6. *Nos orationi & verbo Dei instantes erimus.* Vt igitur in Ecclesia non est omnium *Prædicare*; ita nec *Cantare*.

3. Ratio. Quia politia suos habet cubitores: ergo & Ecclesia; *Isa.* 62. *super muros tuos Ierusalem, constitui custodes, tota die & nocte in perpetuum non tacelint.* Item *Eph.* 5. *Nunquid omnes Doctores, Prophete, &c.* sed suum cuique donum est ac officium in Ecclesia: Cleri, psallere. Idque iure ecclesiastico, non diuino.

DE IEIUNIO.

QVÆSTIO LXXXVIII.

An ieiunij soluendi tempus ritè statuatur ac obseruetur?

LUTHERANI; vt *Kemnitius in par.* 4. *Exam. Tril.* pag. 516. cōcedunt in ieiunio vnam in die refectionem; eamque cœnæ, non prandij: at negant delictum ciborum seu abstinentiam à carnibus.